

Quæstio Theologica & ex ea Theses Catholicæ in celeberrima

Academia Ingolstadiensi publicè disputandæ præside quidem R.P.D.Theodoro Peltano SS. Theologiæ
Doctore & Professore ordinario, respondentे vero ad eandem R.D.Bartolomæo Vnseld,
Artium liberalium Magistro & eiusdem Theologiæ candidato.

Q V A E S T I O.

Vm magna olim inter Catholicos & sectarios de venerandarum imaginum usu & cultu extiterit & etiamnum extet controuersia, non immerito queritur, quid hoc potissimum tempore de utroq; sit statuendum?

- T H E S I S.**
1. *Sacrarum imaginum usus sanctus est & licitus.*
 2. *Quandoquidem cum pictura inter artes habeatur minime illaudatas, & Besceeli statuario diuinitus sit infusa, & iam inde ab ipsius mundi exordio, nemine unq; obnitente, semper usurpata, nullarecta docet ratio ut natura sua usus earum malus debeat censeri vel illicitus.*
 3. *Sed nec per occasionem, nisi forte insipientibus, qui more suo etiam optima queq; in abusum rapiunt, prauus est existimandus.*
 4. *Tum eam etiam ob causam non est damnandus quod in sacris scripturis uidetur inhibitus, Nam tantum abest ut imaginum usus in diuinis literis simpliciter absoluteq; prohibeatur, ut etiam diuino mandato nonnullæ fierisint iussæ, Cautur nihilominus in illis ne quispiam ad latrarium, aut etiam priuata auctoritate, quascunq; statuas aut rerum similitudines erigat.*
 5. *Sed neq; nouis est, & recens per errorem in Ecclesiam Dei inuectus, sed ab ipsius Ecclesiæ incunabulis inchoatus, & perpetua traditione & obseruantia usq; ad hæc nostra temporare religiose propagatus & obseruatus.*
 6. *Quin nullis etiam unq; Pontificum, sacrorumq; Conciliorum Decretis est condemnatus, uerum se penumero, idq; ante octingentos & eo amplius annos ab eisdem approbatus & confirmatus.*
 7. *Est pretere utilis, nam & mentis feruorem excitat, & memorie infirmitatem adiuuat, & rudium simpliciumq; instruit animos.*
 8. *Deniq; si non omnibus, certè his qui literas non didicerunt, est quodammodo necessarius, Siquidem quod eruditio est scriptura, hoc Idiotæ & literarum imperito est pictura.*
 9. *Vnde sicut Sacrilegi iudicandi sunt, qui sacros Bibliorum codices per contemptum exurunt, ita sane sacrilegij crimen nullo modo evadunt illi, qui sacris Iconibus uiolentias inferunt manus.*
 10. *Quod uero ad Cultum earum attinet, imagini ut res quedam est lignea uel ænea, uel cuiuscunq; alterius materiæ, nullus neq; honos debetur neq;*
 11. *Quinimo imagini sub imaginis ratione cōsideratæ, cū honoris in se causam cōtinere nequeat, nulla adoratio, nullus Cultus deferridebet inter-*
 12. *Per accidens uero non autem per se, eadem adoratio, eademq; ueneratio exterior signo exhibenda est & signata.*
 13. *Quamobrem uerius, reclius, magisq; propriè dicimus adorationem coram uel Iconas fieri q; eis ipsas adorari.*
 14. *Sed nec falso nec impropiè assertur Christum, uel quemuis alium ex Diuorum albo, in ipsa imagine adorari uel uenerari, Imago namq; id est, per quod mihi representatur Christus, & ipsum ibi representatum animoq; meo oblatum adoro & ueneror.*
 15. *Vnde cū Ecclesia in sacro Paraseues die canit: O Crux aue spes unica, uerus & germanus est sensus O crucifice per crucem mihi representem.*
 16. *Ex his iam dictis luce ipsa meridiana clarius evadit, aliud Christianos sacris imaginibus, aliud Iudeos & gentes profanis deferre simulacris, Illi namq; non externe tantum, sed etiam interne Idolis suis affixi, totam spem suam ac fiduciam in ea reponunt, ijs seruiunt & immolant, ea adorant & de futurarum rerum euentu consulunt, Deniq; id totum illis tribuunt & ascribunt, quod Catholicici cultores, non imaginibus sed Diuina dunt taxat Naturæ tribuere atq; ascribere consueuerunt.*
 17. *Mera proinde Calumnia est, dum aduersarij nescientes neq; quid loquantur, neq; de quibus affirment, ob sacrarum imaginum uenerationem Idolatriæ crimen nobis impingunt, a qua tantum absumus, quantum illos a uera Theosebia & Latria absesse certum est.*
 18. *Cæterum etsi Corporis membrorumq; Organicorum Spiritus angelici habeantur expertes, quia tamen qualicunq; tandem Corpore assumpto sepius apparuere, seseq; cernendos præbuere, recte lineamentis exprimuntur Corporeis expressiæq; proponuntur honorandi.*
 19. *Perperam proinde parumq; religiose quidam Ecclesiam Dei ueritatis columnam insimularunt, quod Sacrae incorporeæq; Triados imaginem efformet, efformataq; adorari precipiat, quasi id, & quidem omni cum laude, pictori non licet exprimere penicillo, quod sacerdos sacrorum Bibliorum scriptor expreſſit Calamo.*
 20. *At tuero Christū non hominis modo sed & agni Schemate (licet id olim ob quorundam errorē ad tempus fuerit prohibitū) effigiari fas est.*
 21. *Non leuiter peccant pictores & statuarij qui per detestandum artis sue abusum, oculos intuentiū ad lasciuia potius q; ad pietatē inflammant.*
 22. *Nec eos equidem laudandos autemo, qui iconas aureas q; lignreas. Cultas q; incultas, nouas deniq; q; uetusiores maiori prosequuntur ueneratione, nisi tamen huiusmodi uerius uiuacijsq; ipsum referrent prototypum.*
 23. *Sed minus adhuc uidentur tolerandi illi, qui male instituti miracula, quæ sanctorum intercessione, Deus quibusdam in locis operatur, non Diuina uirtuti, ex qua immediate promanant, sed ipsis ascribunt imaginibus & statuis. Nec tamen ob id Idolatriæ crimen statim sanctæ illi rusticitati est impingendum, Cum non raro istorum etiam errantium pietas Deo sit gravior q; superbus quorundam nostræ temporis Theologastrorum Nasus.*
 24. *Verum ut illi sunt admonendi, & nisi male opinari desistant, grauissime reprehendendi, ita è diuerso uehementer sunt commendandi, qui nullam detrectantes molestiam, nullum recusantes laborem, loca huiuscmodi, que patrandis uirtutibus & miraculis Christus Dominus elegit, religiose inuisunt, reuenerenter obseruant, & concepta uota pie fideliterq; in ijsdem persoluunt.*
 25. *Res est etiam indigna, cum falsum aut apocryphum quippiam per imagines exprimitur, Ut dum sacra uirgo mater in lectulo recumbens de pingitur, quasi partus dolores experta, imbecillis redditasit ac inualida.*
 26. *At qui nec illorum quoq; institutū probare ualemus, qui prophani potius & lascivis, q; sacris & pijs imaginibus ædes suas malunt exornare.*
 27. *Deniq; ut paucis absoluan, sunt alij & multi & magni id genus abusus, sed quia facilius est illiusmodi taxare, q; penitus emendare, non est necessarium eas in presentiarum fusius commemorando persequi.*

Dicitur apud eum in sanctioribus Iudeo-Hebreis Celsus Sacerdos episcopus anno Domini 1242.